



B. 781^a





89

S. V.
Carpfouio

Exemplum quod

MDCCCLXXX

sequatur

Kaestner

15.781 a



21
Carpenter
Carpenter
Carpenter
Carpenter
Carpenter



VITA
VIRI ILLVSTRIS ATQVE
CELEBERRIMI
ABRAHAMI GOTTHELF
KAESTNERI
MAGISTRI SEMISECVLARIS

LIPSIAE D. XXII. FEBR. MDCCLXXXVII

RENVNCIATI

ITERVM EDITA

VITA
VIRI HENRICI
COLLEGIUM
ALMA MATER
KON. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

B. 481^a



Contigit Illustri KAESTNERO, vni eique
primo de septendecim Magistris, qui,
ante hos quinquaginta annos (d. XXI. Februar.
MDCCXXXVII) antiquo ritu creati atque
inaugurati sunt, vt memoriam acceptoꝝ um vir-
tutis ac doctrinae suae praemiorum laetus ac vi-
gens recoleret. Quae igitur Senex Venerabilis
de vita sua Lipsiae olim peracta, rogatu Ordinis
Philosophorum Decani M. S. exposuit, vt, mo-
re atque instituto Maiorum, publice proponeren-

tur,*) ea curavi, ut separatim edita, possent a pluribus legi, qui KAESTNERVM — siue ingenii spectes acerrimi vbertatem, siue doctrinarum, quas felicissime excoluit, plurimarum amplitudinem, siue scriptorum magno numero editorum praestantiam et utilitatem, siue denique indefessam illam industriam et assiduitatem, qua solet omnibus et opera sua et consilio praesto esse — qui tot tantasque Viri Incomparabilis virtutes, summa eum humanitate coniunctas, suspiciunt mecum et venerantur.

Albo Academiae nostrae nomen dederat KAESTNERVS A. MDCCXXXI, die, ut Ipse refert, natalitio. Etiam huius diei memoriam semifeculare[m] A. MDCCLXXXI, Academiae
tum

*) In Programmatae, quo Excellentissimus A. G. ERNESTIVS Sollemnia Magistrorum creandorum inaugurandorumque nuper indixit.

tum temporis Rector Magnificus, CHRISTL. BENED. FVNCCIUS, b. m. renouauit;) scilicet ut appareret omnibus, quantum sui desiderium apud nos KAESTNERVS reliquerit. Quos feci versus tum, non tam congratulandi quam veros animi sensus exprimendi causa, liceat hic repetere; namque alios, celebrandae magisterii semiseularis sollemnitati aptiores, quique verius doceant, vnde talis nobis tantusque KAESTNERVS contigerit — nullas habeo*

A 3

Natura

**) exhibitio nouo diplomate huius tenoris:*

Q. D. B. V. Almae Litterarum Vniuersitatis Lipsiensis Rectore, CHRISTLIEB BÉNEDICTO FVNCCIO, Physices Professore Publico Ordinario, studiis academicis ante hos L annos initiatus, et Ciuitatis nostrae Albo inscriptus, *Vir Illustris*, ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER, Lipsiensis, Physices et Mathematicum per Germaniam Praeceptor, iterum in Album Ciuium, honoris causa, relatus est. In cuius rei fidem testimonium hoc publicum consueto Rectoratus Academici Sigillo communitum, Ipsi dedimus. Die XXVII Mensis Decembris Anno Salutis per Christum reparatae MDCCLXXXI.

In pagina altera versus erant positi, qui sequuntur

Natura ingenium: natales Lipsia: mores
 Mater: doctrinae prima elementa Pater:
 Pommerus cultum linguarum: Hausenius artem
 Doctam: Musa dedit mellifluo ore loqui.
 Omine succreuit fausto, famamque per orbem
 Innumeris late protulit hic meritis.
 Nunc *Gotinga* tenet — Sic *Hannouera* tenebat
Leibnitium, patriae spemque decusque suae.
Lipsia vult retinere ambo; sed visum aliter DIs:
 „LEIBNITIOS tulit haec fortiter; illae
 habeant.“

CAROLVS FRIDERICVS HINDENBURG
 Phys. in Acad. Lipsf. P. P. O.

Natus



Natus sum Lipsiae 1719. d. 27. Sept. Patre *Abrahamo*, Iurium Doctore (formula enim I. V. D. etfi pro more vteretur, non omnia tamen iura tenere se existimabat, quae nostro tempore iurisperito discenda sunt; neque tribuebat sibi Icti titulum, quem adsciscere vidi aliquos, qui a nemine consulti essent) Matre *Anna Rosina Pommeria*. Horum parentum cura integra semper gauisus sum, quia nulla eius pars in alios deriuabatur: ad quam accessit *Gothofredi Rudolphi Pommeri*, Iurium Doctoris, cura, quippe qui, caelebs, fororis filium paterno complectebatur amore. Narravit saepius pater, dum prope bimulum gestaret, fornacem se mihi, mensam, fenestram e. i. g. a. ostendisse, additis earum rerum latinis nominibus, non alio consilio, quam, vt infans sonos audirem. Aliquot diebus post, quum

amici forte adessent, ioci causa ex me quaesivisse, ubi sit mensa, fornax? quae quidem omnia digito extenso monstraverim. Haec initia mihi linguae fuerunt, eo certe tempore eruditorum vernaculae. Alphabetum, quod vocant, nunquam memoriae mandavi. Singulas litteras, prout in libris occurrerant, quos sub manibus habebat; pater ostendit, et coniunctas legere docuit. Ordinem illarum tenere, quantum referret, tunc demum sensi, quum vocabula latina in lexico essent quaerenda. Graecorum elementorum seriem scripsi in pagina vacua Lexici Schreueliani, quo puer utebar, quod, quum aliquando non statim ad manus esset, Grammatica etiam inter plures libros lateret (erat enim, si non mihi res angusta domi, libris tamen meis angusta domus) Iliadem evolui, ut, quas in calculo quodam litteras proxime post ζ adhiberem, algebraicus ἀναλφάβητος discerem. Veniam dabunt Manes Homericæ, quod ad hunc usum aeternum Opus adhibuerim; certe inter plures, ad quos adhibitum est, non stultissimum. Ita maturius fere, quam pueri solent, legi germanica et latina. Die natali meo, anni 1725 bibliis Halensibus, quae vocant, donatus, et edoctus, mane ac vesperi particulam eorum legendam esse, ad finem libri perueni prima vice d. 12. April. 1727.

Id scio vehementer displiciturum esse nostri temporis sapientioribus, qui vel adultis epitomen sacri codicis sufficere iudicant. Non is ego sum, qui cum his viris de re tam graui litigare audeat. Ut tamen diminuam aliquo modo illorum peccatum, qui integrum librum puero tradiderunt, quaedam addere liceat, quae tunc ab iis audiui. Lutheri deberi, quod totum codicem sacrum Germanis legere liceat; ante non nisi excerpta ex eo innotuisse non vulgo solum, sed etiam religionis doctoribus; caeterum vtendum in libro esse iis, quae intelligamus; dici enim ab Augustino, si recte memoria teneo, mare, per quod agnus vadat, quum elephas difficulter in eo nater. Colliget lector ex iis, quae retuli, id egisse parentes, vt de rebus diuinis plura docerent puerum, quam recentiores paedagogi doceri volunt, scilicet, non intellegendum. Equidem de iis, quae captum nostrum superant, memoriae mandasse cassa quaedam et inani vocis sono decorata, quam inutile sit, immo, quam damnosum, si tunc omnino nesciuissem, talia, si puer didiceram, perdenda fateri coegisset, quam postea tractaui, philosophia et matheſis. Sed tamen aliud esse iudico, nullum omnino sensum vocabulo cuidam subiicere, aliud, non omnem eius vim adsequi. Id autem, quod non totum intelligit, totum celare puerum, est, nec patrem ipsi nominare, nec matrem. Quo-

modo enim, quid his vocibus dicatur, omne percipiat puer, etiam ex Basedouii disciplina prodians, hoc est, doctior multo, quam alii pueros fieri volunt. Qui ergo infantem, vel puerum potius, ab iis omnibus arcent, quae capere nequit, prudentiam illius imitantur, qui nolebat aquam ingredi, antequam natare sciret.

Praeceptores puero elegit Pater plerumque ex auditoribus suis, ipse tamen profectuum meorum sollicitus obseruator, et in illis augendis occupatus, Quae praestantiores magistri docere poterant in publicis ludis litterariis, illis carui, nisi quaedam propria industria suppleui. Id mihi non omnino infeliciter cecidisse, persuadet, quod *Gesnerus* et *Ernefius* repererunt in scriptis meis, quae probarent, et amicitia dignati sunt, quem discipulum non habuerant. Neque enim licuisset decenni, immiscere se adolescentibus, qui ab ore Gesneri pendebant. Duodecimum autem annum quum expleuissem, a. 1731 albo academico, die meo natali, inseruit nomen meum *Henr. Klausingius*, tunc temporis Rector Magnificus. *Christlieb Benedicti Funccii*, qui eodem munere a. 1781 eius rei memoriam renouavit, gratus recordor et moerens. Iam ante circa a. 1729 confederam inter eos, qui Parentem audiebant explicantem Institutiones Iustinianaeas, addita, quam vocant, Luderii Menkenii Synopsis. Post
ad

ad reliquas eius praelectiones accessi, quibus priuati iuris cursum integrum absoluebat. Etiam formulas componere didici, quae ad litigandi artem pertinent, et de controuersis iuridicis disputauit. In quibus omnibus non iubenti vnice parui, sed exemplum cum voluptate imitatus sum. Erat autem eius haec sententia: ad ornandam fulciendamque iurisprudentiam, multifaria eruditione opus esse. Itaque et ipse tota vita discendum esse profitebatur, et probabat filium vndique doctrinae copias auide colligentem.

Auunculus, qui aduocatus causis in foro agendis operabatur, magnum studium collocauerat in linguis Europae cultioris. Gallicae, Italicae, Anglicae, Hispanicae elementa mihi tradidit, et legendos, qui illis linguis scripti erant, libros, historiam populorum enarrantes, aut itinera, plures etiam poeticos. Post liberaliter iuuit studia mea mathematica praestantioribus et maioris pretii voluminibus, v. c. Bernoulliorum aliorumque operibus. Quam primum aliis doctoribus academicis uti licuisset, *Io. Henr. Winklerum* philosophiam tradentem audiui. Is, quum instigante *Ridigero* scripta *Wolfii* refutaturus legisset, meliorem *Wolfii* causam iudicauit. Multum igitur dissentiebat a *Ridigero*, cuius tamen philosophia pragmatica in praelectionibus a. 1732 utebatur. Neque poenituit, argutias *Ridigeri* didicisse.

cisse, in quibus expoliendis et augendis Hofmannus postea et Crusius occupati fuerunt. Sequenti anno *Winklerus* dogmata ex periculo recitabat, quae calamo excipiebamus. *Institutiones philosophiae Wolfianae* explicanti non adfedi, quum sufficere mihi videretur, audiendae philosophiae biennium impendisse, et ipsa Wolfii scripta legerem. Dum *Winklero* adhuc doctore utebar, singulari collegio, feriarum tempore, explicabat Wolfii dissertationem de hieme a. 1709, multa per eam occasionem tradens de frigore, calore, tempestatibus et aliis ad naturam spectantibus. Trahebat iam tunc *Winklerum* voluptas sua ad physicam experimentalem, qua deinde celebritatem consequutus est; etsi prima eius experimenta talia essent, quae in museolo meo facile repeterem. *Mathesi*, dum in *Ridigeri* castris militauerat, non multum tribuere potuerat: quae, quam necessaria esset physico, quum agnouisset; vir laboris patientissimus maiores in illa profectus fecit, quam ab obruto pluribus negotiis expectari poterant. *Calculos* et *geometrica ratiocinia* in *physicis*, vt quae percipere magni ipsi constiterat, prolixius explicat, quam vellet *mathematicus*. Sed illa prolixitate sine dubio gratiam inuit a multis, qui minus in erudito illo puluere erant versati. Etiam inter eos fui, qui *Winklero* arbitro, quantum profecissent in *logicae praeceptis* et *philoso-*

loſophiae doctrinis, ad uſum etiam aliarum ſcientiarum transferendis, periclitabantur; logico-practicos eos labores vocabat.

Anno huius ſaeculi 35, et qui illum ſequutus eſt, *Georg. Frid. Richterum* audiui, *Wolfii* compendium elementorum matheſeos (*Auszug*) explicantem. In Geometria *Clauui Euclidem* adhibui. Algebra, quum in curſu elementorum non attingeretur, eius cauſa adii *Gothofredum Heinſium* autumnò a. 1736. Calculos litterales, ex illa libelli *Wolfiani* parte, quam *Richter* non explicauerat, propria induſtria tractare didiceram. *Heinſius* cuiusuis problematis computos minutatim tabulae inſcribebat, quo, ſi mei cauſa parcere potuiſſet, commilitonibus fortaſſe proderat. Ponebat *Heinſius* in ea re, ut perſpicuus eſſet, ſummam operam, et forſitan nimiam. Certe, hieme anni, quem dixi, et vere ſequentis, non abſoluit, niſi Tomi IV elementorum *Wolfii* germanicorum priores 198 paragraphos; reliqua, itinere *Petropolin* inſtituendo occupatus, non adiecit. Conſugi ergo ad *Wolfii* elementa latina, ex quibus didici, ad quam ſubſtiterat *Heinſius*, Geometriam curuarum, et Analyſin infiniti. Iam idoneus mihi videbar, qui proficere ab *Hauſenio* poſſem. Is explicabat publice ſuorum elementorum Tomum, qui vnicus prodiit, priuatim elementa *Wolfii* germanica, item *Newtoni* Arithmetica vni-

verſa-

versalem, et *Hambergeri* elementa physices. Privatissimis lectionibus interdum illustrabat *Hermanni* Phoronomiam; sed illis interesse mihi non licebat. Quae igitur praeterea in Mathesi didici, mutis praeceptoribus debeo; nisi quod, aliquot annis post, *Backofio* quodam usus sum, qui monstraret enchirifes agrorum metiendorum, et picturarum architectonicarum. *Io. Christoph. Lehmannum* etiam vidi experimenta physica instituentem. Ditissimo, qualis tunc esse poterat, adparatu instructus, et naturae peritissimus, multa etiam ad publicam utilitatem tentauerat, non sine rei familiaris detrimento. Matheseos elementa recte adhibebat; sublimiorum usum non perspexerat.

Io. Christoph. Gottschedio primum innotui inter eos, qui moderatore illo de controuersis philosophicis disputabant; idque secundo curriculi mei philosophici anno. Deinde audiui eum, *Tschirnhauſi* Medicinam mentis explicantem, poeseos etiam et eloquentiae praecepta tradentem. Exercitiis oratoriis, eodem duce institutis, per sex integros annos interfui. Historiam litterariam accepi a *Christ. Theoph. Ioethero*, fata imperii Romano-Germanici, nec non iuris publici, quod vocant, elementa *Io. Iac. Mascouio*. Alios historicos non audiui. Nam tunc, quum *Mascouius* grauiter ac diferte

ferre narraret, saepius ex me quaesivi: cur narranti
adsideat, qui legere ipse possit?

Interea non cessavi in iurisprudentiae studio:
cuius vt fructus aliquos perciperem, *Io. Frid. Hoekne-*
rus, Iur. Nat. et Gent. P. P. O. Fac. Iurid. Adfessor,
qui ex sacro baptisate me susceperat, auctoritate
Comitis Palatini, qua pollebat, Notarium publicum
a. 1733 renunciauit. Praestiti, quae praestanda
erant, vt tum in terris Saxonis, tum in vrbe pa-
tria, officio iudicis chartularii fungi liceret, et iure
meo, per aliquot annos, in pluribus negotiis vsus
fum. Patre Praefide in Auditorio ICtorum ter pu-
blice respondi a. 1734 et 35. Mense Ianuario
a. 1737 tentamina subii, quae ad titulum *Candidati*
Iuris obtinendum requiruntur, quo omnino dignum
Ordo ICtorum me pronunciauit. Edidi etiam non-
nulla lectionibus indicandis, quae ICris non displic-
uerunt, velut *pro iustitia calculi interusurii Leibni-*
tiani a. 1747. — *Physicae iurisprudentiam illustran-*
tis Specimina a. 1748. — *de restitutione mutui, mu-*
tato pecuniae valore a. 1750.

Prima laurea philosophica exeunte a. 1735
ornatus, iure Baccalaureorum, a. sequ. theses phi-
losophicas e cathedra publica defendi, comite *Gottlo.*
Beniam. Straubio, Vratislaviensi. Magisterii ho-
nores Ordo Philosophorum, mihi contulit a. 1737
d. 21. Febr. Decano *Hausenio*. Quoniam tunc, qui
pri-

primos honores philosophicos erant consequuti, paucis septimanis interiectis, ad altiores aspirabant, mihi, anno so Baecalaureo, primus locus contigit inter septemdecim candidatos, quorum plures inclauerunt, vt *Crusius*, *Gunzius*, *Hundertmarkius*, et *Woogius*, qui Lipsiam Professores ornarunt. *Siegar-tus*, qui mense Martio illius anni disputauit, de eo, quod verum et imaginarium est in geometria infinito-rum paullo post mortuus est. Demandata est etiam, pro more, illum locum obtinenti, *Lectio Aristotelica*, vt vocabatur. Eam edidi sub titulo: *Commentatio de iustitia eiusque speciebus in Aristot. Eth. V, 5, quum incluta Facultas Philosophica Lipsiensis Abrahamo Gott-helf Kaestnero summos in philosophia honores confer-ret, ab eodem publice recitata a. d. IX. Cal. Mart. CIOIOCCCXXXVII.* Ego tamen, vt docendi ius mihi adsererem, minus festinaui, quia tempus adhuc ali-quod discendo impendere statueram. Itaque *Io. Ern. Hebenstreitium* sequutus sum in Anatomie et Medicina forensi, *Christ. Theoph. Ludouicum* in Bo-tanica et Diaetetica; etiam in Botanica *Ant. Guil. Plazium*, et in Chemia *Theod. Sam. Quelmalzium*. Physicam non omnem *Mathefi adplicata* contineri, quod, quasi currentis decennii *evgeua*, quidam nos docent, iam ab *Hausenio* didiceram, peritissimo illo-rum, quae modo nominaui, vt qui ipse minerarum collectionem diuitem possidebat. *Linnaei* Systema
 natu-

naturae, ut forma maxima prodiit, primum apud eum vidi. Non memini, tunc fuisse, qui *naturae historiam*, ut iam moris est, doceret. Multa poterant in ea re disci ab *Hebenstreitio* et *Ludouico*; celebrabantur etiam exoticorum inprimis et rariorum gazophylacia, *Bosianum*, quod fuit! et *Linkianum*.

Absolui vitae meae partem iucundissimam, ut quae tota ornando exercendoque ingenio impenderetur. *Wolfii* philosophiam, quae tunc florebat, ita a *Winklero* accepi, ut non auctoritatem sequi, sed rationibus adduci mihi viderer. *Hausenius* effecit, ut sentirem, quantum intersit inter philosophorum argumenta et geometrarum demonstrationes. Philosophici vero et geometrici sermonis asperitatem facundia condire *Gottschedius* docuit, qui, etsi suo exemplo, in poesi inprimis, confirmaret, parum valere studium sine diuite vena, regulis tamen, et, quod exemplaria antiquorum, et, quae tunc exstabant, recentiorum praestantissima, assidue voluenda iuberet, cotis vice fungebatur, saepius ab ipso, quod acuerat, ferro laesae.

Iurisprudencia, si parum ad rem familiarem contulit, postquam non amplius vacavi testamentis aut inuentariis scribendis, et cambiis praesentandis, et pro re nata protestandis (de his latine loqui, esset: thalassionem verbis dicere non thalassionis) debeo tamen illi, quod, quae ad formandam et regen-

dam ciuitatem pertinent, melius intelligam, et, de legum siue conditoribus, siue ministris, moderatius et rectius iudicem, quam iudicare interdum video eruditos, magni etiam pro tempore nominis. Et si Philosophiae et Mathesi satis esse poterat illecebrarum, quibus a Themide me abducerent, erat tamen inter ea, quae magis adhuc alienarent animum, leue aliquod, non tacendum hic, si forte profit parentibus ICtis filios mei similes habentibus. Solent maiora corporis Iustiniani segmenta non numeris citari, vt aliorum librorum, sed ipsis titulis, quorum quilibet quo loco reperitur, memoria tenendum est; indecorum enim iudicant, indicem voluere. Ego, licet probe scirem, in Digestis Procuratores et defensores proximos esse his, qui notantur infamia, neutros tamen inuenturus eram sine indicis beneficio. Numeros autem titulorum et ordinem (vt est ille ordo) nolebam memoriae infingere, quam, quum sat felix mihi contigisset, non onerabam ediscendo, sed, frequenter legendo, et ruminando lecta, ditabam. Ita, quum iam multo potior Triboniano esset mihi Euclides, eius nullam propositionem memoriter citare noram, praeter 47, I.

Quum de obrinenda docendi facultate cogitarem, materiam scripti suauis *Winklerus* argumentum pro existentia Dei ex notione entis perfectissimi duum; *Cartesio* tribuerunt, etsi iam Anselmus Cantuarien-

tuariensis eo usus sit. Sed quaecumque vel lecta, vel propria meditatione reperta Winklero proponebam, illorum nihil argumento firmando sufficere ostendebat. Quas igitur conquisueram rationes, eas tunc seposui, parte illarum, aliquot annis post, usus in dissertatione germanica, quam inserui *den Belustigungen des Verstandes und des Witzes 1743, Augustmonath*. Memini, patrem, quum mutati consilii rationes ei exponerem, dicere: tu quidem, de Deo subtilius philosophaturus, parum forte curasti, quomodo Deo placeres. Huic reprehensioni quod verum inerat, crediderim adhuc in rem suam vertere posse multos Theologos, tum orthodoxos, tum scoliodoxos, multos eorum, qui litteras sacras magno eruditionis apparatu interpretantur etc.

Emergenti ex Metaphysicae fluidibus, litrus, ad quod me reciperem, Mathesis concessit. *Theoriam radicum in aequationibus determinatis* euolui, methodo, quam ab *Hausenio* acceperam, qua incognita tamquam variabilis consideratur, ut, quod evanescit, dum radix incognitae loco scribitur, alios aliosque valores accipiat, exhibens ordinatam curvae alicuius parabolicae, cuius abscissa est incognita variabilis. In scripto illo, quod a. 1739 comite *Fuchso* defendi, curvis non usus sum, sed rem omnem ad numerorum series reuocaui. Quarum serierum, quum ex primitiua nascantur plures, differentiarum,

vt terminos illarum generales, et reliquas leges, idoneis signis exprimerem, magnam collocaui operam, non pro spe mea *Hausenio* probatam, qui negabat multum prodesse hanc signorum vniuersalitatem. Non tamen poenituit me laboris, quem ex elementis Analyseos finitorum, quae Gottingae edidi, cognoscere licet. Data aequatione inter duas variables, vnam illarum per seriem potentiarum alterius exprimere, partibus aequationis in laterculos parallelogrammi dispositis, *Newtonus* docuit. *Io. Colson* cuius opera Londini 1736 prodierunt: *The Method of Fluxions and infinite series . . . by Sir Isaac Newton* amplissimo commentario praxin methodi docuit, demonstrationem non dedit. Illam, qualis mihi se obtulit, edidi in dissertationibus duabus pro *Loco* quas vocant. Primae a. 1743 exhibitae titulus est: *Aequationum speciosarum resolutio Newtoniana per series*; haec ad aequationes inter quantitates finitas pertinet; altera a. 1745 edita, agit de resolutione aequationum differentialium per series, quomodo fluentium vna exprimat per seriem alterius ex aequatione inter fluxiones. Vtriusque contenta inferui elementis meis Analyseos. Ratiocinia, quibus vsus sum, illustrarunt eruditi duo Wirtenbergenses, aliis laboribus clari, *I. G. Pfeiffer*, Aequationum speciosarum resolutio per series ope Parallelogrammi Newtoniani. Tub; 1765. et *G. I. Holland*:

Inhalt

Inhalt des Kästnerischen Vortrags vom Newtonischen Parallelogramm. Ibid. eod. a. Haec proxime pertinent ad illos honores, quorum, ante hos *L* annos mihi collatorum, memoriam renouare placuit Ordini Philosophorum Lipsiensi. In reliquis breuem me esse oportet; neque enim vel scopus huius scriptio- nis, vel locus permitttere videntur

vt omnia

Votiuu pateat veluti descripta tabella

Vita Senis.

Anno 1746 demandabatur mihi *Professio ex- traordinaria Matheseos*, addita pensione annua. Ad orationem adicialem inuitauit programmate, quod *Cautionem in neglectu quantitatum infinite paruorum obseruandam* exemplis illustrabat. Oratio ipsa explicabat; *Cur inter mathematicas rari aut nulli sint diffensus.* Illi auditorem interfuisse, qui tunc Lipsiae commorabatur, *Ernestum Com. de Manteufel*: eum- que et mihi fauisse, cum voluptate recordor; non, quod Comes erat, et Amicus Regum fuerat, sed, quod varia doctrina, ipsaque philosophia subtiliore instructus ingeniorum idoneus aestimator erat. Cal- car industriae addidit, quod conatus mei probaren- tur, quibus probari, honori mihi esset. Litterarum commercio me dignabatur *Cardinalis Quirini*, com- mentariis de rebus ad se pertinentibus donabat, Aca- demiae Bononiensi Sodalem commendabat. Illi

B 3

ergo

ergo a. 1750 obtuli libellum, quo Geometriae Euclidis primam, quae post inuentam typographiam prodit, editionem descripsi. Cardinalis, praeter nomen imagine sua insignitum, pecuniam etiam misit, *per le spese dell' impressione*, vt scribebat; non imitatus Papam illum, qui alchymistae librum crumena vacua remunerabatur. Exstant editae illius ad me epistolae, et mearum duae ad eundem, de habitu Matheseos et Physicae ad Religionem a. 1752, et alia sequ. anno. Academia Regia Prussica in a. 1751 quaesuerat: Quae facienda sint credentibus fortunam ex mundo exfulare, casusque omnes a diuina prouidentia regi. Praemio ornauit, quae latine scripseram; illa quum edenda essent, iubente Academia, gallica reddidi. Vtroque sermone prodit cum aliis: Piéce qui a remporté le prix sur le sujet des evenemens fortuits . . . av. les piéces, qui ont concouru. Berl. Misi haec Cardinali, et editam eius ad me epistolam accepi Brixiae d. 29. Ian. 1752 scriptam, in qua initium dissertationis meae versibus latinis reddidit, et haec subiunxit: „ad quos „fundendos nescio quis animi impetus me tulit, antelucanis Sacrorum Epiphaniarum horis; nam eo „die statim ac e lectulo surrexi, accidit mihi nihil „tale opinanti, vt tuam lucubrationem, quam pridie perlegeram, iterum in manus fumerem, vtque „tempus illud christiano ritu diuinis rebus meditandis „dispo-

„disponi suctum, in repetenda eiusdem lucubratio-
 „nis lectione impenderem; inde vero animus meus
 „incaluit, vt ea lectio, Stellae instar, quae Magos
 „ad Regem Regum adorandum deduxit, me alege-
 „rit, vt eidem Regi munus et ipse aliquod offerrem,
 „non quidem ex Eois thesauris depromptum, sed,
 „quale ingenii mei paupertas tribuere me posse con-
 „cederet.“ — *Maupertuisium* etiam propense mihi
 fauentem expertus sum. Academiae Regiae Prussiae
 inde ab a. 1749 exterus Sodalis, per eum non
 stetit, quin aliquot annis post adiungerer Vir illu-
 stribus, qui Berolini scientias ornant et augent. —
Leonardo Eulero placuisse theoriã radicum in aequa-
 tionibus, *Heinsius*, cui illam miseram, Petropoli
 scripsit. Berolini degens Vir Summus beneuolen-
 tiam insignem litterarum commercio testatus est, cu-
 ius maiores adhuc percepturus eram fructus, si com-
 mendatione eius aucto adiuroque Petropolin acce-
 dere licuisset. — *Petrus de Varginin*, non quod
 Secretarii Academiae Holmiensis esset, interdum So-
 dali extero scribere, sed, quod iudicaret, conferre
 me aliquid ad vtilitatem scientiarum, plurima ami-
 citiae testimonia mihi exhibuit. — *Dom. de la*
Lande, quum Berolini obseruationes institueret,
 quae illis *Abb. de la Caille* in extrema Africa institu-
 tis responderent, misit, quae in Actis Eruditorum
 inferenda curarem, et redux magnam eius tempo-

ris partem, quo Lipsiae commorabatur, mihi indulserit.

Pauca liceat addere, quae ad amoeniores literas pertinent. Veram eloquentiam, quae nihil aliud est, quam copiose loquens sapientia, semper cultores suos habuisse Lipsiae, nemo est, qui ignoret. Erat meo tempore Societas doctorum academicorum, et gradibus academicis ornatorum, qui singulis Saturni diebus unam alteramue horam impenderent orationi, quam unus recitaret, audientibus, et monendis, quae in illa reprehendi posse viderentur. Quod amicorum esset consortium, nominabatur *die vertraute Redner-Gesellschaft*. Antiquius erat currente saeculo. In annalibus Societatis legi nomina *Christ. Thomasi, Menkeniorum, Riuinorum*. Vltimus Senior instituti erat *Maius*, moralis philosophiae Professor. Illi cum fructu et voluptate interfui, item, sub eodem *Maius*, Societati Theotiscaae. *Gottschedius* denique in societatem, quam instituerat liberarum artium, abiturientem adsciuit.

Patre orbato a. 1747 et auunculo a. 1750 mater supererat, cui, quum debitum soluere non possem, pietatem praestarem. Id vero officium eo sanctius mihi erat, quod constanter ferret, immo materno adfectu saepius me celaret cruciatus diuturni morbi, non nisi morte finiendos. Hannouerae munere honorifico fungebatur *Hartmannus*, Lipsia oriun-

oriundus, et matri meae cognatione iunctus. Is scribebat a. 1743 contingere mihi posse Göttingae locum cum Professoris titulo, operam in dirigenda quadam eruditorum societate requiri. Respondi eruditos, si alios, ut me norim, paullo difficilius dirigi; quomodo Halleri quidpiam reddere possim Göttingae (nam et hoc erat in litteris amici) me omnino non intelligere. Quae igitur mihi facienda sint, planius doceri petii. Si recte conicio, credebatur, post Halleri abitum, nouorum litterariorum et Relationum Göttingensium curam mihi demandari posse. Item quaerebam, quae cum fructu agerem, ubi *Segnerus* erat cum *Mayero*. Sed, quod non satis explicare poteram bene mihi cupientibus, retinebat me mater, quae nec vitam miseram latura erat sine me, nec domicilii mutationem. Ita tunc Lipsiae manenti spes facta est primae, quae in Ordine philosophorum vacaret, cathedrae, et, donec id contingeret, praeter illam, qua fruebar, pensionem annuam, alius adhuc, si qua vacaret. Gratus veneror illorum memoriam, qui his me cumularunt beneficiis, quantis poterant. Liceat tamen rationem reddere, cur hac spe, summam votorum non consequutus sim.

Equidem multifariae eruditionis, cuius custodia Facultati amplissimae credita est, nullam partem

omnino neglexeram, quod omnes ornando ingenio aliquid conferre intelligerem. Neque tamen poterant omnes ac singulae vel aequae placere mihi, vel aequae feliciter a me tractari. Itaque nec magna cum voluptate, nec cum Academiae fructu docendam poteram suscipere, quamcumque fors obiecisset. Vfus sum hac exultatione apud *Holzendorffium*, qui subridens vnum nominavit, si recte memini, et alium, cuius vicibus non deterius fungerer. Non renui, sed addidi: id me velle, vt meis vicibus nemo me melius fungi possit. Propositionem meam, veris adplicabo exemplis, vt suas adplicare solent Astronomi. Quum iam abitum pararem, *Eloquentiae* cathedram vacuam reliquit *Kappius*. Quae autem vesania fuisset, pro iure meo contendere cum *Ernestio*? *Christium* Professorem Poëseos, efferri vidi, quum vltima vice Lipsiae essem. Fudi interdum etiam latinos versiculos; illorum vero, quibus, latinos esse poetas, dederim, primum ego me excerptam numero: sunt, qui vix inter vernaculos locum concedant, sed ego non credulus illis. Poetas vero, et alios scriptores antiquos ita versaueram, vt ex illis ipse proficerem, non, vt commentari in eos auderem. Id certe acturus eram, vt, quodcumque munus mihi contingeret, illo probabiliter fungerer. Sed hac sollicitudine me exsoluit, quod *Segnero*, post

Wolfie

Wolfii obitum, Halam petente, Gottingae Mathe-
 sis et Physica docendae mihi credebantur. — Haec
 iis inprimis scribo, (litterarum hono spero, non
 multos fore; noui tamen vnun tem alterum)
 qui, quum ipsis omnes suae artes quaestuariae sint,
 ex se iudicant rectius de eruditionis dignitate sen-
 tientes. — Poteram Lipsiae viuere commode et
 cum honore, inter amicos, cum quibus adole-
 veram, cum praeceptoribus me amantibus, et, in
 mediocritate honesta, multis frui, quae alibi ne
 pecunia quidem redimuntur,

Munus Gottingense adii mense Augusto a. 1756.
 Mense proximo Lipsiam reuisi et mecum duxi vxor-
 em *Ioannam Rosinam Baumanniam*. Poteramus
 nobis mutuo lenire patriae desiderium. Sed illa
 ad meliorem vitam d. 4. Martii a. 1758 euo-
 cata est.

Labores meos Gottingenses non credo huius
 loci esse. Et iam nimium de me loquutus sum.
 Lego autem in *Gesneri* praefatione ad *Horatium*:
 Concedi Senibus *περιαντολογεῖν*. — Ill. *Baldin-*
gerus edidit, quae ipsi de rebus ad me pertinentibus
 scripseram initio anni 1764, et ipse quaedam addi-
 dit: *Biographien jetztlebender Aerzte und Natur-*
forscher I. B. I. St. Iena 1768. — Etiam Ill. *Put-*
terus

terus — *Versuch einer academischen Gelehrtenge-*
schichte von der Georg-Augustus-Universität. Gott.
 1768. p. 173. — de me retulit.

Scrib. Gottingae d. 14. Ian. 1787.

Hactenus KAESTNERVS, *Magister se-*
misecularis, cuius auspiciatissimam renunciatio-
 nem secuta est alia *Magistrorum nuper creatorum*,
 tabulisque publice propositis declaratorum. Hi
 sunt:

CAROLVS HENRICVS BERNARDVS
 ERTELIVS

Lipfensis, Iuris utriusque Baccalaureus

THEOPHILVS SIGISMVNDVS
 FVHRMANNVS

Tripticio - Variscus

IOANNES CHRISTOPHORVS
 ROEMPLERVS

Tennstadio-Thuringus, Scholae Patriae Collega

FRIDE-

FRIDERICVS LEBR. SCHOENEMANNVS

Mansfeldensis

CHRISTIANVS ERNESTVS WEISSIVS

Lipfienfis, Iuris vtriusque Baccalaureus

CAROLVS GOTTLOB SCHMIDIUS

Plauienfis

RVDOLPHVS HOMMELIVS

Lipfienfis, Iuris vtriusque Baccalaureus

CAROLVS GOTTLOB SONTAGIVS

Radeberga - Misnicus

CAROLVS AVGVSTVS SATTLERVS

Lipfienfis, Iuris vtriusque Baccalaureus

ABRAHAMVS THEOPILVS RAABIVS

Bernftadio - Lufatus

IOANNES CHRISTIAN. THALEMANNVS

Numburgenfis

FRIDE.

FRIDERICVS AVGVSTVS LEIBNITIVS

Numburgensis

BERNARDVS KORDESIVS

Lubecensis

CHRISTIANVS FRIDERICVS WEHRDIVS

*Numburgensis, in vrbe patria ad aed. d. Wences-
lai Diaconus*

HENRICVS WOHLRATH REHKOPFIVS

Cygnensis

CAROLVS SAMVEL FHRLICHIVS

Sorauia - Lusatus

Nomina eorum, qui, renunciatis illis,
sollemni ritu in Auditorio Magistri creabantur,
haec sunt:

AVGVSTVS ADOLPHVS WENDLERVS

Lipsiensis, Iuris utriusque Baccalaureus

AVGVSTVS FRIDERICVS WERNERVS

Penicensis

AVGV-

IOANNES ANDREAS IAGIVS

Lipſienſis

FRIDERICVS AVGVSTVS

WEISSHVHNIUS

Schoenwerda - Thuringus

ADOLPH. CHRISTIAN. KRETSCHMARVS

Niederſchoena - Misnicus

VRBANVS THEOPHILVS HAVBOLDVS

Lipſienſis

IOANNES GEORGIUS SCHEIBIVS

Rothenburgo - Luſatus

CAROLVS DAVID ILGENIVS

Schna - Thuringus

IOANNES ANDREAS REVTERVS

Lengefelda - Variscus

CHRISTIANVS GOTTLOB FLADIVS

Mudisdorpio - Hermundur

AVGVSTINVS MAGNVS KRAFTIVS

Niedertrebra - Thuringus

CARO.

XXXII

CAROLVS CHRISTIANVS
SELTENREICHIVS

Camitio-Lufatus

CAROLVS FRIDERICVS BRESCIVS

Budiffas

CAROLVS FRIDERICVS HEINSIVS

Niuemontanus.

L I P S I A E

EX OFFICINA KLAVBARTHIA

CAROLVS CHRISTOPHVS
SELIENICHANVS

CAROLVS CHRISTOPHVS SELIENICHANVS

CAROLVS CHRISTOPHVS SELIENICHANVS

CAROLVS CHRISTOPHVS SELIENICHANVS


CAROLVS CHRISTOPHVS SELIENICHANVS


CAROLVS CHRISTOPHVS SELIENICHANVS

Pb 461

X 2290256

bc





VITA
VIRI ILLVSTRIS ATQVE
CELEBERRIMI
ABRAHAMI GOTTHELF
KAESTNERI
MAGISTRI SEMISECVLARIS
LIPSIAE D. XXII. FEBR. MDCCLXXXVII
RENVNCIATI
ITERVM EDITA

